LAPI CORALITI JUDICIUM DE DUOBUS P. JOANNIS DE DEO STAIDELII LIBRIS, QUORUM...

Carlo Antonio Pilati







INcredibili animus noster voluptate perfusus est, cum P. Staidelii Librum de Lege Naturæ vulgatum fuisse accepimus; cujus quidem Operis ab eo die, quo primum nobis illud edendum esse nuntiatum est, magnum nos tenebat desiderium. Nihil enim caussæ erat, cur dubitaremus, quin multas res præclaras, singulares, minimeque tritas, & circumforaneas Liber iste contineret. Nam cum sciremus, alios viros hoc eodem in argumento elaboravisse, & Finettum in eo, quem de principiis Juris Naturæ inscripsit, Opere multum pro Lege Naturali disputasse, Pilatum vero pro eadem Lege adserenda librum singularem anno superiori edidisse, eam animo imbiberamus opinionem, ut Staidelium non aliter, quam si pro certo haberet, se melius, doctiusque illis duobus scripturum esse, ad scribendum accessurum fuisse arbitraremur. Præterea Litteris multorum significatum est nobis, magna hunc Virum apud populum in existimatione esse, tum quia Clero suo Enchiridia ex Theologia Morali popularia sane, atque benigna componit, tum aliis etiam de caussis; quas nihil opus est hoc loco recensere; quamobrem populus ille prædicare, atque exclamare sæpe solet.

Vah! Solus hic homo est, qui sciat divinitus
Hunc hominem decet auro expendi: huic decet
Statuam statui ex auro.

Sed poſtea quam editum eſt Staidelii Opus, & nos illud nacti ſumus, magnus conſequutus eſt dolor, cum ſpem nos feſelliſſe, & rem aliter, quam cogitabamus, cecidiſſe cognoverimus. Nihil enim in toto libro reperire potuimus, quod laudem aliquam mereri videretur, præter bonam mentem, quæ auctorem ad hoc Opus ſuſcipiendum adegit. Itaque cum me ita fruſtratum, atque deceptum viderim, non potui me continere, quin aliquibus eorum, qui mihi tantam hujus Operis expectationem fecerant, quique tum forte præſentes erant, in os dicerem, atque effutiſſem illud Plautinum:

Exite, agite, ite ignavi, male habiti, & male conciliati.
Quorum nunquam quicquam cuiquam venit in mentem, ut recte faciant.
Neque ego homines magis aſinos unquam vidi.

Jam nollem quemquam hic ſuſpicari, certum eſſe mihi, atque propoſitum Staidelium maledictis impetere, atque Opus ejus aceto perfundere: neque enim cauſſam ullam ejus rei faciendæ habeo: quippe hominem hunc non novi, atque utinam ne Opus quidem ejus unquam noviſſem: liceret enim mihi nunc animo eſſe tranquilliori, neque hanc haberem adverſus ipſum querimoniam. Sed quando Librum edere voluit, operæ pretium eſt, ut commonefiat, quam largiter graviſſimeque peccaverit, quo deinceps ab earum rerum, quæ ignorat, tractatione abſtineat. Admonitoris igitur, non adcuſatoris officio fungar, & ipſum Staidelium, quæ ab eo in libro ſuo præſtita, quæque omiſſa fuiſſe voluiſſem, amice monebo, atque adeo ſecum ipſe percurram. Jam igitur tecum, Staideli, agam, & in pauca conferam, quæ a te facta, vel non facta maluiſſem.

Primum vellem, ut ne latine ſcripſiſſes: tum ut ne tam inordinate, atque confuſe omnia in unum acervum con-

contulisses, & alienissimo æque, ac suo loco collocasses: præterea ut illis argumentis, quæ ad Legem naturalem probandam, atque confirmandam e tuo depromsisti ingenio, plane usus non esses; in argumentis enim seligendis adhibendum est judicium, ut falsa pro veris non arripiamus, ut levia semper rejiciamus, nonnunquam etiam communia, & minime necessaria prætermittamus: denique vehementer cuperem, ut Dialecticen, quæ recte judicandi vias diligenter persequitur, melius coluisses: nam cum omnis ratio diligens differendi duas habeat partes, unam inveniendi, & alteram judicandi, tu in neutra elaboravisse, sed utramque deseruisse videris.

Jam venio ad id, quod initio dixeram, noluisse me, latino sermone usus esses. Me quidem, quominus eodem sermone mea qualiacunque alterius argumenti opera exararem, difficultas linguæ rejecit. Ego enim ita semper existimavi, aut nihil omino scribere, aut ita scribere oportere, ut nauseam Lectori bilemque non moveas. Nam qui non potest, qui vitiose facit, qui denique non ita, ut decet, scribit, hunc vel ad id, quod potest, detrudendum esse puto, vel cum satius est plane nihil, quam tam male scribere. Quamobrem multi viri docti italicis litteris uti maluere, quibus cum facilius, tum rectius possent, quæ volebant, expromere, quam latinas adhibere, quibus concinne, jucunde, copiose, laudabiliterque differere, homini præsertim non magnopere exercitato difficillimum est. Idem tibi, Staideli, faciendum fuisse arbitror. Homo enim, ut tu es, multis aliis studiis, laboribus, negotiis deditus, satis multum præstat, si omnes Auctores latinos, ut Plautum, ut Columellam, ut Horatium, ut Juvenalem, aliosque ejusmodi intelligit: hunc autem ipsum latine etiam scribere his quidem temporibus vix possibile est. Quare tu quidem dicendi genus adeo horridum, agreste, incultum, rusticanum amplexus es, ut oratio tua non latina, sed aut gotica, aut lon-

longobardica vetus videatur. Nil dicam de barbariſmis, quibus opus tuum refertum eſt, inter quos illa vox *Luſitabundus*, quæ ſtatim in principio libri pag 9. reperitur, eminet: omittam etiam ſolæciſmos, quos ſæpe in deliciis habes, ut cum *qui* pro *cui*, aut *qui* pro *quæ*, vel *qua*, veluti pag. uſurpas, atque ita uſurpas, ut culpa non in Librarium, ſed in te tantum tuamque latinarum litterarum ignorationem coniici poſſit. Sed de illa tantum dicendi ratione, quam ſequutus es, loquor, quæ quidem tam hiulca, tam jejuna, tam ſterilis, tam vilis, atque abjecta eſt, ut ferri profecto nequeat. Crede mihi, non aufert me maledicendi ſtudium: non inſtitui Satyram adverſus te ſcribere: Quemvis potius, & quidvis carperem, quam te tuumque dicendi genus. Amor in te meus facit, ut te admonere velim, quid poſthac tibi faciendum putem, ſi alios libros, quorum vereor, ne jam nimis multos ediderís, conſcribere aliquando in animum induxeris. Scio te latinis litteris vehementer delectari: ſcio etiam te boni Scriptoris famam eſſe apud aliquos conſequutum. Non facio libenter, ut hunc ex animo tuo errorem evellam; ſed tamen tenebriones iſti, qui tuam latini ſermonis peritiam apud te commendant, te mirum in modum decipiunt, & honori, exiſtimationi, ac dignitati tuæ nimis profecto male conſulunt. Singuli enim libri tui, & in ſingulis libris ſingulæ periodi, ſingulaque membra ingentes tuas occupationes, quæ te a ſtudio linguæ latinæ arcuerunt, palam produnt, atque declarant. Non enim continuo latina verba latinam efficiunt orationem: ſed eſt quædam latini ſermonis proprietas, & orationis ſtructura, quam qui non aſſequuntur, barbari ſunt, & barbarorum more ſcribunt, ſi vel latiniſſimis verbis utantur; tum ex ipſa collocatione, & conformatione verborum exiſtit quædam ſuavitas, & jucunditas orationis, quam qui negligunt, rudes, & agreſtes adpellantur. Hanc autem facultatem nemo, niſi qui diu multumque ſcriptitarit,

tarit,

tarit, consequetur. Præterea in Scriptore certos quosdam & animi, & ingenii celeres motus existere oportet, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, perpoliendumque sint uberes. Sed quæ ad recte scribendum pertinent, non omnia inseri, & donari ab arte possunt, sunt enim pleraque dona naturæ. At vero ego hanc absolutionem, perfectionemque in te desiderans, a qua ipse longissime absum, impudenter facere, & tibi, & hominibus nostris videbor: nam alteri vitia exprobrare, quibus ipse non careas, non ejus est, qui vereatur reprehensionem doctorum, atque prudentium. Sed videor mihi tamen ea de caussa mereri veniam, quod cum Opera mea scripsi, difficultatem linguæ latinæ agnoscens, litteras italicas elegi, & desperatione debilitatus experiri id nolui, quod me assequi posse diffidebam: nunc autem necessitate quadam impulsus latinè scribo, quia tecum ago, qui hanc de Lege naturæ materiam vis latinis litteris nos prosequi debere, & italicum sermonem adspernaris. Tibi autem ego quidem ignosco, qui sciam occupationes tuas maximas, quæ te rectam scribendi rationem sequi, & colere non patiuntur; sed doctorum tamen virorum reprehensionem vix effugies, quod tua sponte ejusmodi genus litterarum amplexus sis, quarum cognitione carere videris: nam ut Bacchus apud Aristophanem ait:

Verba . . . . . bubula elocutus
Es, quæ cristas haberent, & supercilia terrifica,
Larvata, spectatoribus ignota.

Itaque a latinis litteris deinceps abstinendum tibi esse puto, quo melius honori, & dignitati tuæ consulas: tum ut ordinem quoque melius serves, auctor tibi sum: nam quantum quidem ex Opere tuo colligere licet, omnem ordinem, atque rectam rerum dispositionem negligere, & respuere videris. Mihi quidem nihil ordine aut pulcrius,

aut

aut præstantius, aut ad usum commodius esse videtur. At apud te, quæ in principio operis dicta sunt, in fine, & in medio ejusdem sine ulla necessitate repetita leguntur; itemque ea, quæ Lector hoc in loco expectat, alibi collocata reperiat. Sed omittamus ista, & Rhetoribus, atque Grammaticis relinquamus.

Nunc ad id, quod totius rei caput est, veniam: & ad ipsam disputationem tuam pro Lege naturæ adgredior, argumentorum tuorum vim, atque potestatem, rationumque momenta examinaturus. Ego vero, ut id, quod vere sentio, fatear, argumenta tua, quibus ad Legem naturalem probandam uteris, adeo debilia, atque infirma esse arbitror, ut putem, te illis, qui te non norunt, in suspicionem venire posse, ne eam Legem, quam in speciem defendis, re ipsa tollere, atque subvertere conatus sis. Videtur hæc accusatio adversus te jure institui posse, quia optimas rationes, quæ ab optimis Auctoribus allatæ sunt, neglexisti, & earum loco pessimas ex arbitrio tuo confinxisti. Nonne Grotius, Cumberlandius, Pufendorfius, Cudworthius, Wollastonius, aliique ad manus erant, ex quibus optima potuisses pro Lege naturali tuenda argumenta sumere? Aut si hæreticos odis, an non Antonii Genuensis Libros doctos, & subtiles habebas? Quod si & hic displicuisset, editum jam erat Patris Finetti de *Principiis Legis naturæ* præclarum Opus, qui Autor, quamvis id, quod potissimum intendebat, non evicerit, tamen de iis, quæ ad Legem naturæ spectant, tam bene disseruit, ut mea quidem opinione omnium hominum nostrorum, qui ante eum scripserunt, conatus, & optimarum rationum electione, & judicii præstantia, & doctrinæ cum copia tum facilitate superarit. Tu ergo argumenta vel ab his petere, vel certe ex arca ingenii tui promere non debebas: ut ut enim non omni ingenio careas, nec omni fortasse doctrina, tamen alio hactenus spectarunt labores, vigiliæque tuæ, & tua illa,

quæ

quæ hucusque in Enchiridiis conscribendis in magica superstitione tuenda, & in sanctorum cultu defendendo versata est mens, non potuit in Lege naturali tantum scientia, & cognitione comprehendere, quantum ad eam Legem adversus inimicorum impetus adferendam, atque tuendam requiritur. Multa lectione, tum optimorum, tum etiam pessimorum Auctorum, & multo judicio ad rem ejusmodi adgrediendam opus est: tu autem, ne eos, quidem Auctores, quos ipse citas, nosse videris. Nam primum sæpe uteris auctoritate Ciceronis, ut tanti viri testimonio adversariorum frangas impudentiam. At Ciceronem constat in Philosophia Academicorum doctrinam esse sequutum; Academicos autem nihil negari, nihilque adfirmari recte posse, docuisse, a quorum partibus se fere stare ipse Cicero professus est; cum in ingressu operis ejus, quod inscriptum est de natura Deorum, palam dicat sibi videri, omnibus veris falsa quædam adjuncta esse, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa judicandi, & adsentiendi nota. Quæ sententia quantopere ipsi probaretur, facile quilibet ex eius Libris, quibus quæstiones Academicas tractavit, sua sponte colligere poterit. Quamobrem hujus viri auctoritas nihil probat, ne apud eos quidem, qui non tam rationis momenta, quam auctoritatem in disputando quærunt, & suum judicium adhibere desinunt, simul ac vident, quid ab eo, quem probant, judicatum fuerit. Cicero sæpissime oratorem agit, & ex vulgi mente, non ex judicio suo loquitur. Sæpe etiam alterius cujusdam Philosophi personam sustinet, ejusque sententiam exprimit, quomodo ab ipso in Libris de Natura Deorum factum esse animadvertimus. Qua quidem in re graviter a te, mi Staidelj, peccatum est, qui, quæ in his Libris de Natura Deorum continentur, tanquam ipsius Ciceronis sententias, doctrinasque profers, cum non hujus, sed aliorum Philosophorum, a quorum duobus ipse etiam valde diffidebat, sententiæ sint. An

ergo ignorabas, in primo Libro C. Velleium, ad quem tum Epicurei primas ex Romanis hominibus deferebant, disputantem a Cicerone inductum fuisse: in secundo autem libro Lucilium Balbum, qui mirificos progressus in Stoicis habebat, a Cicerone differentem adduci, postremas vero partes Cottæ insigni ex Academia Philosopho fuisse tributas? Qui quidem Philosophi uti diversis Philosophiæ principiis imbuti erant, ita sententiis inter se magnopere discrepabant. Quare jam tute statuere potes, qui tam sæpe Ciceronem laudas, quantopere aliquando ejusdem sis injustus accusator, qui talem, tantumque Virum, quem tu ipse tanti facis, ut ejus sæpe auctoritatem adducas, alio in loco, id est pag. 87., de vitio manifestæ contradictionis accusas, eumque, quod a se ipso in re magni momenti dissenserit, reprehendis, atque coarguis. Atqui scire debebas non ejusdem Ciceronis esse illas, sed eorum Philosophorum, quos dixi, varias pugnantesque sententias: sunt enim omnes ex Libris de natura Deorum, in quibus Cicero Philosophos inter se varie, & in contrarias partes disputantes inducit, petitæ. Tu igitur hujus Viri testimonia, atque doctrinas ex iis locis, ubi non animi sui sensus, sed aut aliorum Philosophorum sententias, aut vulgi inanes opiniones exponit, producis? Vide, quam sis eruditus, qui eundem, quem tantopere citas, Auctorem, non cognoscis: at si non nosti, ne legisti quidem, sed aliunde textus illos Ciceronis decerpsisti: qua in re tu mihi sacrorum oratorum aliquos imitari videris, qui ut concioni fucum faciant, textus ex Sacra Scriptura, & ex Sanctis Patribus, quorum libros nunquam legerunt, summa confidentia, ingentique clamore recitant. Qui vero optimos Auctores, cujusmodi Cicero est, nec noverit, nec legerit; quod in te Staidelj, homine Theologo, & ab aliis rebus districto valde credibile est, ei ego Auctor sum, ut de Jure Naturæ scribere nunquam in animum inducat suum.

Scio

Scio ego fuiſſe aliquos, qui ex ore tuo pendere ſolent, qui cum te, tuamque, quam hoc tuo Opere oſtendiſti, doctrinam, laudibus in cœlum offerrent, valde mirabantur, quod non modo Philoſophos tam bene, quam ipſi putabant, noſſes, verum etiam veteres Poetas tam tibi familiares reddidiſſes, ut plurimos ex eorum libris verſus pluribus in locis tam appoſite citares. En, dicebant portentum hominis, en omnis doctrinæ, eruditioniſque magiſtrum! Age nunc, videamus, quale portentum, & qualis magiſter ſis? Tu cum capite 16. cauſſas adferas, quamobrem Deus improbos homines non continuo in hac vita puniat, unam dicis eſſe hanc, quod Deus velit hominibus tempus ad reſipiendum perbenigne largiri. Deinde hos ex antiquo Poeta verſus illico ſubjungis:

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

Quid ergo? Deus Omnipotens, hoc numen immenſum, infinitum, æternum, Terræ, Cœlique Conditor ullo unquam tempore, ſi vel infinita fulmina ſingulis diebus mittat, inermis fiat? O ſcelus, o flagitium! Quod veteres Poetæ inverecundi, impii, nefarii de Diis ſuis inanibus, fictis, fabuloſis adfirmare non dubitabant, tu de Deo Optimo Maximo uſurpare Theologus, & Chriſtianus audebis? O tempora, o mores! Etiam Theologus ita loquetur hodie? Alius ſi quid ejuſmodi dixiſſet, omnes in eum merito docti, atque indocti, ſenes, pueri, adoleſcentes, mares, & fœminæ impetum feciſſent, & lapidibus obruiſſent. Nunc cum Theologus, & Staidelius dixeris, omnes coqui, ſalſamentarii, cupedinarii, laniones, fullones, ſartores, ſutores, balatrones tibi manibus, pedibuſque plaudunt, & bene a te dictum eſſe dicunt. Sed nolo, Saidelj, invidiam in te quærere: fruere per me licet, hac tua gloriola. Bonus ſis orator,

bonus poeta, homo sis etiam eruditus: non invideo tibi, non obsto, non repugno. Sed id tantum a te postulo, id flagito, id te etiam, atque etiam rogo, ut de Jure Naturæ non scribas. Aliorsum te vocant occupationes tuæ; his te præbe, his te dede. Nam profecto idoneus non es ad Jus Naturæ tractandum, quod declarant argumenta illa tua, quæ ex tuo cerebro protulisti. Confer ea cum illis, quæ Finettus, quæ Pilatus adduxit: videbis quam inania sint pleraque, & quam falsa illa, quæ tu excogitasti: cognosces te omnium optima silentio prætermisisse: deprehendes etiam te ea, quæ bona sunt, & ab aliis jam allata fuerant, minus recte, & ubi minime oportebat, adhibuisse, & sententiis bonis sensum non bonum tribuisse.

In prima operis tui parte ea persequeris argumenta, quibus Legem existere ipse probas: in secunda adversariorum rationes, atque sophismata diluere conaris. Videamus quæ sint primæ partis argumenta. Quamquam tu quidem eo in loco argumenta ipsa cum præceptis Legis ita commiscuisti, atque perturbasti, ut difficile sit existimare, quid argumenti, & quid præcepti vim tua saltem sententia obtineat, attamen quantum conjectura colligere possum, hæc tua sunt ad probandam Legem argumenta. Primum Religio, quæ ab omnibus populis colitur, deinde societas ad quam natura facti videmur: tum ingenitus omnibus hominibus virtutis amor, odiumque vitiorum, post ipsa humani generis natura, & dispar hominum, belluarumque conditio, præterea ipsa cujusque conscientia, denique Dei Optimi Maximi Providentia. Horum argumentorum alia ab aliis jam occupata fuere, alia partim levia, partim inepta sunt. Itaque cum nihil novi, nisi quod reprehensione dignum sit, tuum produxerit ingenium, tutius fuisset, si hoc tuo Opere Rempublicam non onerasses. Nam ut ab eo argumento, quod tu omnium primum posuisti, atque ex Religio-

ne

ne erga Deum, quem Nationes universæ semper reveritæ sunt, duxisti, incipiam, facis profecto inepte, quod rem omnium maxime controversam pro prima, omniumque optima ratione adducis. Sunt enim, qui constantissime negant singulos populos Religionem aliquam habuisse, aut nunc etiam habere, contra adfirmant & olim fuisse plurimas, & nunc esse multas nationes apud quas nulla suspicio Deorum sit, quam in rem testimonia Strabonis, Plutarchi, Pomponii Melæ, Gassendi, Huetii, aliorumque probatitissimorum virorum adferunt. Quo posito isti hunc ratiocinantur in modum: nationes, quibus nulla est notio Dei, aut homines sunt, & ratione humana præditi, aut tertium quoddam constituunt inter homines, & feras genus; si homines sunt, cognitio Dei non est documentum aliquod, non præceptio, non doctrina humanæ, communisque omnibus rationis, sed est subtile quoddam, callidum, & ingeniosum unius, alteriusve hominis inventum. Nam si humana ratio Deum esse doceret, impossibile esset tot homines, atque populos tanto temporis intervallo in tanta ignoratione tantæ rei constanter fuisse versatos. Hos autem esse, homines negare absurdum est. Sed si Deus non cognoscitur ab omnibus, ne Legis quidem naturalis notio communis esse potest. At si Lex communis non est omnium hominum, atque populorum, sequitur, nec naturæ Legem existere, quia quod naturale est, omnibus hominibus commune est. Vide, Staidelj, quo te coniiciant homines isti, improbi quidem, at tales profecto, ut non quævis ratio, non quælibet Doctrina tua ad eos covincendos, atque debellandos idonea sit. Sed volo tecum mitius agere: largiar tibi nullam Nationem esse tam barbaram, tam feram, tam immanem, quæ Deum ignoret, nihil tamen inde pro Lege Naturæ inferre poteris: nam ut ut Deus sit, & hunc colendum, atque summa veneratione dignum esse concedam, adhuc tamen in quæstione manet, utrum

utrum Deus iste Legem aliquam tulerit, qua omnes homines teneantur, & quæ hominum genus, ut justitiam colat, ceterasque virtutes, quibus potissimum societas conservatur, obligandi vim habeat? Tuum igitur argumentum id tantum probat, Deum existere, at Legem Naturæ conditam fuisse non probat. Potest enim voluisse Deus, ut suo viverent arbitrio homines. At, inquis, Deus res humanas curat, vitæque hominum consulit, atque providet. Quare infers Deum voluisse Legem hominibus dare, & eos exleges non esse? Sed hoc de Providentia Dei aliud est argumentum tuum, quo in tuo opere uteris ad Legem Naturæ demonstrandam, quod a te fuit ab argumento superiori sejunctum. Itaque ad hoc posterius argumentum de providentia Dei non est recurrendum, nisi prius vis, atque potestas superioris argumenti de Religione hominum excussa fuerit. At ex hominum Religione nullum pro Lege Naturæ argumentum elici posse vidimus. Ergo hoc tuum argumentum ab alio argumento de Providentia separatum, atque disjunctum nullius momenti est: quia, quamvis Deus cognoscatur ab hominibus, & colatur, tamen utrum ab illo ulla lex lata sit, ignoratur. Tu tamen utrumque hoc argumentum de Religione hominum erga Deum, & de providentia Dei separasti, ratus eorum quodlibet satis magnam vim habiturum ad Legem Naturæ ostendendam. Quod, quatenus quidem ad primum argumentum pertinet, falsum esse vidimus. Jam vero cognita, atque perspecta imbecillitate ejus argumenti, quod a te primo loco positum est, progrediamur ad examen alterius argumenti, quod ex Providentia Dei ducitur, quod quidem argumentum, quamvis a te, qui ordinem adspernaris, remotiori loco allatum sit, tamen secundo saltem loco pertractandum erat, nec a priori tantopere ut fecisti sejungendum, præsertim cum primum nullam per se vim habeat. Ita igitur argumentaris. A Deo omnia a principio facta sunt,

atque constituta, & ejus infinita mente, ac ratione administrantur, atque reguntur: ergo ab eodem Deo vitæ hominum consuli, & provideri necesse est. Non providisset autem, si Legem non tulisset, quæ ad recta faciendum impelleret hominem, & a delicto evocaret, quare hinc efficitur, ut lex aliqua existat, quæ non sit hominum ingeniis excogitata, neque scitum sit aliquod populorum, sed Divina quædam voluntas, quæ universos homines regat, imperandi, prohibendique sapientia. Addis præterea: cum fruges, & reliqua, quæ terra pariat, & tempestates, ac temporum varietates, cœlique mutationes, quibus omnia, quæ terra gignat, maturata pubescant, a Deo immortali humano generi tribui videamus, non est tantæ bonitati contentanea eorum opinio, qui nullam ab eodem Deo hominibus Legem, quæ ad eorum vitam regendam apta esset, fuisse tributam. Habet quidem, mi Staidelj, argumentum hocce tuum magnam speciem, & similitudinem veri; sed tamen nulla plane vis ei inest ad fidem faciendam illis, qui a te in quæstione de Lege Naturæ dissentiunt. Tute profecto scis, quam & olim fuerint, & nunc sint non sane pauci, qui a Deo hominum curam negant, quorum permultæ rationes, & a Cicerone præsertim Libro tertio de Natura Deorum, & a Baelio in ejus Operibus adferuntur. Hi igitur ut ut Deum esse largiantur, cum tamen nihil hominum caussa agere, nihil moliri, ac ab omni cura vacare contendunt. Impia quidem, fateor, istorum opinio est; nam si omnibus hominibus idem persuasum esset, quæ posset esse justitia, quæ fides, quæ religio, quibus sublatis perturbationem vitæ, magnamque confusionem sequi necesse est? Sed sicuti nulla est opinio tam stulta, atque nefaria, quam aliquis Philosophorum non probaverit, ita hanc, quæ Dei Providentiam tollit, multi, & magni nominis Philosophi, ut olim Academici, & nostris tem-

temporibus Hobbesiani, Spinosistæ, Baeliani, ac Voltæriani sequuti sunt. Quare tu facis non nihil imprudenter, qui cum adversariis Legem existere naturalem persuadere velis, rationem ejusmodi pro fundamento doctrinæ tuæ ponis, quæ omnium maxime in controversiam venit. Nam si illa, quæ in disputando præmittis, ita comparata sunt, ut de iis tibi cum adversariis minime conveniat, numquam te poteris ad propositum referre, atque concludere. Omne enim argumentum probabile inventum esse debet ad faciendam fidem, sed id probabile non est in tua quidem caussa, de quo inter te, & adversarios tuos maxima animorum contentione disceptatur. Quare id tibi pro disputationis tuæ firmamento adsciscere, atque adsumere non debebas, de quo statim ita tibi est cum adversariis pugnandum, ut nunquam possis ad exitum pervenire. Sed non luctabor tecum hac de re diutius, & ultro concedam, Dei Providentia hominibus, & ab initio consultum fuisse, & nunc etiam consuli, an ergo sequetur Legem quoque a Deo cordibus hominum impressam, aut alia ratione latam fuisse? Nonne Deus humano generi rationem tribuit, ut ea duce tam bona quæreret, quam mala vitaret? Hæc nos a vita immani, & fera segregavit, hæc ad coeundum in Societatem allicuit, hæc nos urbes ædificare, magistratus creare, Leges ferre, sontes punire, benemeritos præmiis adficere docuit. Rationem igitur dedit nobis Deus, ut nosmetipsi nobis consulere possemus; quo vero modo consulere quisque sibi maxime vellet, hoc cujusque hominis arbitrio remittendum esse putarit; non voluit homines cogere, ut sibi consulerent, ratione eos tantum donavit, ut cum vellent, possent, sin nollent, omitterent. Satis igitur a Deo provisum esse videtur humano generi, dum eidem rationem dedit, qua, quæ ignorat, discere, quæ scit, alios docere, quæ bona sunt, quærere, quæ mala

putat

putat, avertere, & relinquere possit. Nihil opus erat præterea. Rationem cum dedit, satis magnum a Deo munus datum est homini, quo hic se, vitamque suam regere posset, siquidem ratione recte uti volet. Ut autem documentis humanæ rationis Deus vim obligandi legem aliquam ferendo tribueret, minime necesse erat. At dices, si lex non adsit, ratione hac perpauci bene, innumerabiles vero improbe utuntur. Nam quæ libido, quæ avaritia, quod facinus, sine ratione perficitur? Qui doli, quæ machinæ, quæ fallaciæ, præstigiæque sine ratione esse possunt? Injustitiæ autem, intemperantiæ, & sevitiæ, quæ semina sine ratione essent? Ergo dum quisque, quod cupit, ab altero vel fraudibus obtinere, vel vi extorquere conatur, totum humanum genus paullatim ruere necesse erit, si lex non existat naturalis, quæ homines in officio contineat, ut vero, quominus hoc, quod tu, Staidelj, putas eveniat, impediunt humanæ Leges, & Magistratus, quum eadem ipsa ratio nos juris, legum, & urbium societate devinxerit. Quare supervacanea est illa naturæ lex, quæ tantopere commendatur; quam si Deus ullo unquam tempore tulisset, certe eandem tam clare promulgasset, ut nemo posset, an illa existat, dubitare? Itaque tu te jam, Staidelj, vides, quam nihil probet, & quam infirmum sit, atque debile argumentum hocce tuum, quod ex Dei Providentia ducis. Melius igitur fuit omnino non adhibere, quam caussam disputandi, & tui irridendi adversariis præbere.

Quare quum ea duo argumenta, quæ modo attulimus, nihili esse ostenderimus, necesse est te ad conscientiam recurrere, quæ impium, & flagitiosum hominem, non patitur esse tranquillum, sed ejus animum misere torquet, cruciat, atque dilaniat. Hoc quidem vere a te quadam ex parte, sed non totum dicituri, nam vera est, minimeque dubia adsertio illa & doctrina tua; siquidem homo ita sit a pueritia instructus, ut quid Le-

ges vetent, & quibus rebus supplicia statuta sint, didicerit. At si actio illa, quam tu Lege Naturæ turpem, atque vetitam esse dicis, ejus Reipublicæ, ubi is, qui eam perpetravit, moratur, Legibus non coerceatur, neque hic, quod de jure naturæ jactatur, aut sciat, aut sibi persuasum habeat, nullo profecto timore homo ejusmodi pallescet, nulloque animus ejus torquebitur cruciatu conscientiæ: quod multarum docent exempla nationum, apud quas palam & sine ulla suspicione peccandi ea fieri scimus, quæ nos Jure Naturæ vetita esse sine ulla dubitatione tenemus. Quamobrem hoc, quod a conscientia ducitur, argumentum, plerisque viris doctis minime probatur, illudque tanquam leve, ac nullius momenti rejiciunt. Quod te quoque facere oportebat, si quod cupis, iis, qui ante te, ut Finetus, & Pilatus, eadem de re scripserunt, volebas disertior, acutior, doctiorque videri. Hæc igitur, quæ vidimus, argumenta minus nihilo sunt. Reliqua vero, quæ attulisti, non tua sunt, sed aliunde deprompta. Quare hoc tuo Opere minore cum incommodo caruisset Respublica, in quam tu illo tuo labore plus mali, quam boni intulisti, præsertim, quum id, quod bonum est, non ex tuo fluxerit ingenio, sed ex aliorum libris a te fuerit derivatum.

Itaque fidem mihi in hoc, quod dicam, adhibeas, velim: Purus putus Theologus non est idoneus ad Jus Naturæ ita ut oportet, tractandum, sed ejus est potissimum eo de jure scribere, qui ad arcana Philosophiæ penetraverit; agitur enim de rebus, quæ ex intima Philosophia petuntur. At tu Philosophos non nosti: quod superius allatum de Cicerone exemplum facile declarat, cui cum aliud de Socrate subjecero, nullus jam erit amplius dubitandi locus. Tu Socratem, qui omnium Philosophorum castissimus, atque integerrimus fuisse perhibetur, multis verbis duobus in locis pag. 104., & 128. accusas eum improbi viri officio usum esse, & omnes fœminas omni-

omnibus viris communes esse oportere, statuisse. Edic, sodes, quis balatro, quis tonsor, quis sutor hanc tibi de Socrate narravit fabulam? Quid caussæ fuit, quamobrem Platonis inventum Socrati tribueres? Quid te impulit, ut Socratem ejus flagitii reum faceres, quod ne Aristophanes quidem infensissimus ejus inimicus eidem exprobavit? An quum hæc scriberes Platonem, Xenophontem, Laertium, Stanlejum, Landesium Bælium, Vayerium, Brucherum, Burinium vidisti, & quid de Socrate dicerent, indagasti? Si hos vidisses, falso abs te Socratem adculari cognosses; sed quid ego tibi hos Græcos, Anglos, Gallos, Germanicosque auctores commemoro, cum ne eum quidem ipsum, cujus auctoritatem tam sæpe commendas, Lactantium, Firmianum inspexeris, si enim ea, quæ hic scriptor libro tertio capite vigesimo primo, qui locus a te ipso pag. 105. citatur, oculis tuis usurpasses, neque alienis credidisses, quam falsa illa tua de Socrate opinio esset, deprehendisses. Nos hæc etiam in Schola, vel ab ineunte ætate didicimus, cum ludimagistri aliarum rerum omnium plerumque rudes, hæc tamen paucula de Socrate & Platone sciant, sæpeque pueris narrent, quorum te oblivisci non oportebat.

Cum igitur tam injuste contumeliosus in Socratem sis, cave tibi, ne quis Socratis defensor eis te verbis adoriatur, quibus idem ille Socrates apud Aristophanem in illa Comœdia, quæ nubes inscripta est, Strepsiadem increpuit.

Per halitum, per Chaos atrum, per aera:
Nunquam vidi ego quemquam ita ingenio agresti, & hebeti:
Ita perplexum, atque obliviosum: velut hic est,
—— Qui etiam nugamenta levicula,
Et ludicra, quæ discit, prius obliviscitur,
Quam didicerit.

Quamobrem cum ab omni eruditione, ab omni Dia-

lectica, ab omni Philosophia, & ab omni orationis adiumento destitutus sis certe, tua te barbaries, aut aliquis genius male advocatus in nugas, atque ineptias impulit, quod tute ipse, si modo aliquid hominis habes, jam ultro fateberis.

Sed dicunt, te, cum ad hoc Opus tuum scribendum accessisti, id in animo habuisse, ut officeres nomini, atque existimationi eorum, qui ante te eadem de re scripserunt, quos Finettum, & Pilatum esse antea monuimus. Quod quidem tuum fuisse consilium non obscure ostendunt ea, quæ initio operis callide, atque astute, Sycophantarum more præfatus es, ut invidiam illis, præsertim vero Pilato, creares. Nemo est, qui non videat, quas insidias struere volueris! Nemo, qui non cognoscat, quas machinas adhibere conatus sis, nemo, qui non perspiciat quibus technis, atque Sycophantiis operam dederis. Sed frustra sunt labores, vigiliæque tuæ. Finetti Liber universæ probatur Italiæ: neque extra Italiam displicuisset, si eorum existimationem, quorum doctrinam revereri debebat, minus læsisset. Pilati autem Opus etiam a Gallis, & a Germanis ita collaudatum est, ut illi in Ephemeridibus Enciclopediis *tom. 5. part.* 2. anni 1765. sedulo, & cum attentione legendum esse dixerint, hi vero, ut in linguam Germanicam verteretur, optarint. Pilatus autem si quid peccavit, in eo mea quidem sententia peccavit, quod sanctorum Patrum caussam, quos in prima operis sui parte oppugnavit, in secunda non melius pleniusque defenderit. Horum tu utrumque si vincere volebas, judicio, doctrina, oratione vincere oportebat, non ambitione, non calliditate, non denique popinarum, sutrinarum, & reliquarum officinarum applausu, quorum amorem illis tuis Enchiridiis Deo & rationi adversus, tibi jam dudum conciliasti:

Virtute ambire oportet, non favitoribus
Sat habet favitorum semper, qui recte facit.

Nonne

Nonne te pudor inceſſit, cum ſubdolam illam Præfationem Operis tui conſcribebas, ubi te libido cæpit ejuſmodi verbis utendi, quæ alium non habent uſum, quam ut aliis male faciant, quæque mirificam artem tuam produnt aliis aſtute nocendi? At ita comparati ſunt

Plerique homines, quos cum nihil refert, pudet ubi pudendum eſt. Ibi eos deſerit pudor, cum uſus eſt, ut pudeat. Is adeo tu es.

Hæc habebam, Staidelj, quæ tibi de prima Operis tui parte dicerem, cum plus otii nactus ero ad ſecundam partem adgrediar, in qua barbariem illam, quæ in cerebro tuo reſidet, & cor acre, quod in pectore geris, multo majoribus argumentis oſtendiſti. Interea vero temporis Deum O. M. rogabo, ut mentem tuam a tenebris, judicium ab ineptiis, orationem ab impuritate liberet, purget, abſolvat.

Conſtitueram, Staidelj, haſce meas in opus tuum animadverſiones in vulgus non emittere, ſed eas tecum tantummodo amice communicare, quo te vel ab ineptiis tuis deducerem, vel certe a ſcribendo in poſterum deterrerem. Sed intemperantia tua effectum eſt, ut non licuerit mihi in propoſito meo, ſuſceptoque conſilio diutius permanere. Relatum eſt enim mihi, te omnes tonſtrinas, ſuttinas, ceteraſque officinas continuo frequentare, & quacunque occaſione ſermonem iniicere de hoc tuo recenti opuſculo, & de petulantia, atque improbitate, ut dicis, eorum quos contra ſcripſeris.

Quo pacto tibi laudem, gloriamque comparare, alios vero, quorum vitam, doctrinamque rodis, in invidiam rapere, & imperitæ multitudinis forum in eos excalefacere conaris.

Hos autem non modo de doctrinæ improbitate, verum etiam de defectione a fide, & a Religione; non tam ex animi tui ſenſu, quam quod hanc rem ad conci-

tan-

tandum vulgus plurimum valere ſcis, accuſas. Hos tu in ſermonibus tuis ſæpe nominas, & eoſdem ipſos animo tuo obverſatos eſſe, quum illam turbulentam, ſeditioſam, ac Sycophantiarum pleniſſimam ad opus tuum præfationem conſcripſiſti, facile unuſquiſque intelligit. Jam horum, quos Tu immerentes de perverſitate poſtulas, famam tueri, horum ſcripta religionemque defendere, horum injuriam, quam ipſi leni & tranquillo animo ferunt, ulciſci me plane, qui eorum amicus ſum, decet. Exeat itaque in lucem hocce meum de Opere tuo judicium, ut imperita plebs, quam tu artibus tuis tibi devinxiſti, tandem aliquando cognoſcat, quam peritus Scriptor, quam probus cenſor, & quanta fide dignus homo ſis. Sed quoniam tu religionis prætextu tumultus in populo excitas, quod recentes ſermones tui, & illa horribilis ac deteſtabilis præfatio, quam Operi tuo præpoſuiſti, ſatis aperte declarant, operæ pretium eſt, ut antea te non dimittam, quam religionem tuam tuæque doctrinæ probitatem cum religione amicorum meorum comparaverim, & utra melior, ſanior, rectior ſit examinaverim. Meorum autem amicorum hæc religio eſt: Deum Optimum Maximum amare, & timere: proximum ſuum æque ac ſe ipſum diligere: Eccleſiæ præcepta venerari, atque ſervare: Sanctorum Patrum placita maximi, reliquorum hominum ſolam ſine ratione auctoritatem nihili facere; ceteris in rebus ſolam rationem ducem ſequi: in primis autem contemnere quoſcunque libros, in quibus certi quidam Theologi tumultuoſi, turbulenti, pugnaces, contentioſi, declamatores, ſectarum, atque auctoritatis merè ſectatores, rationis, prudentiæ, & æquitatis hoſtes: politicæ, Chriſtianæque reipublicæ peſtes, ac tempeſtates adverſus probos doctoſque viros ſtulte, & impudenter diſputant, atque bacchantur.

Ita mihi Deus adſit, uti hæc eſt tam mea, quam amicorum meorum vera, minimeque fucata religio. Tu

autem

autem, & tui similes nos conviciis vestris urgere perpetuo soletis, quia irridemus fabulas illas aniles, quas populo non modio, neque trimodio, verum ipso horreo demensas datis: quia superstitiosas vestras ariolationes despicimus: quia nemini religionis caussa more vestro maledicimus: quia capite recto, atque celso, minimeque in alterum latus inclinato procedimus: quia nemini, qui aliter, ac nos sentiat, infensi adeo sumus, ut ejus famam depeculemur: quia cor felle, & acerbo aceto oblitum non gerimus: quia bonos libros legimus, auctores malos, qui tibi, tuique similibus in deliciis sunt, contemnimus: quia nulli Scholæ nos mancipamus, nullius imperio paremus, optima quæque undique ratione, & judicio colligimus: contra quæ mala sunt, aut prava, aut inepta, & a ratione aberrantia, si vel ab optimo dicta scriptave sunt, rejicimus.

Jam vero age: videamus, quæ contra tua sit religio, atque hanc cum illa nostra comparemus, ut utra melior sit, intelligamus. Tua autem religio non aliunde melius profecto, quam ex Enchiridiis tuis Theologicis constare potest. At hæc tua Opera ita sunt comparata, ut pluribus in locis justitiam, pietatem, verecundiam lædant. Cujus autem scripta, doctrinæ, sententiæ eas res sanctissimas violant, is qua fronte religiosum se appellare, & profiteri, atque alios de sublesta fide postulare audeat, sane non intelligo. Quamobrem si justitiam, si pietatem, si modestiam, si temperantiam, tuis sententiis violas, non debes videri religiosus, vel certe religio tua multum mali, multumque vitii admixtum habebit. Ejusmodi autem a te traditas esse sententias, possem innumeris docere exemplis ex Enchiridio tuo petitis: quod etiam profecto facerem, nisi res esset plena laboris, plenaque molestiæ tum propter rerum, quæ proferendæ essent, multitudinem, cum ob ipsius tractationis, & materiæ fastidium, quando sanæ mentis homini nihil tantopere sto-

ma-

machum facere potest, quam magna in ostendendis, & exagitandis aliorum ineptiis occupatio. Quare pauca quædam ex Enchiridio illo tuo delibabo, quibus quam proba religione utaris, ostendam: ea vero summam, quæ magis obvia erunt, ut investigandi, & seligendi molestiam effugiam. Occurit autem mihi pag. 120., in qua hæc verba tua lego. " Titius exigit a fure decem florenos, ,, minitando, se alioquin eum manifestaturum, non te- ,, netur restituere, nisi sit ea summa furto ablata: Ergo Tu in ea sententia es, ut quæ pecunia minis quæsita est, ea possit a metum inferente retineri? Deus immortalis! Num itaque minæ deinceps inter titulos ad acquirendum dominium habiles ponendæ erunt? Num quæ acquisitio a Jurisconsultis veteribus, recentioribus, Romanis, Græcis, gentilibus, Catholicis, Hæreticis, uno omnium consensu improbata est, ea ex Staidelii, Theologi Christiani sententia in posterum probanda erit? Num omnes Theologi, Jurisconsulti Legum Latores, qui pecuniam ejusmodi a metum inferente metum passo restitui oportere decreverunt, in errore quodam communi versati sunt; Staidelius autem veritatem solus deprehendit? Num reliqui omnes desipuerunt, Staidelius solus sapit? Optati Cives, populares, incolæ, accolæ, advenæ omnes plaudite huic Staidelio! concedite, atque abscedite omnes, de via decedite: nec quisquam tam audax nunc sit homo, qui obsistat illi. Hic solus sapiens est: immo quantus quantus est, totus est sapientia: ceteri omnes delirant. Sed cave, Staidelj, ne justitiam offendas, neve ex injusto facias justum, atque omnia æquitatis præcepta sus deque vertas. Nam quidquid alteri contra ejus voluntatem detrahimus, extorsio est: omnis autem extorsio injusta videri debet. Si enim justum erit alterius incomodo suum augere commodum, & propter suum emolumentum alteri metum inferre, & minari, disrumpi necesse est penitus humani generis Socie-

cie-

cietatem . Metus autem eſt inſtantis, vel futuri periculi cauſſa mentis trepidatio. Sed qui furi minatur, ſe illum Judici indicaturum eſſe, cogit eum trepidare propter futurum periculum exilii, Triremium, aut etiam mortis. Quare fur, qui hujus periculi vitandi cauſſa dat, non ſua ſponte dat, ſed propter minas, quas alter adhibet: neque ille daturus fuiſſet, ſi alter a minis abſtinuiſſet. Itaque invitus dat; ſed quod ab invito accipimus, extorſio eſt: at quod extortum eſt, retinere jus non eſt.

Cur igitur tibi, Staidelj, venit in mentem docere, non eſſe reſtituendum, quod metu illato furi detractum eſt? Nam id jus non eſſe, vel ipſi Juriſconſulti Romani veteres agnovere, qui communi ſuffragio ſtatuerunt, ut ſi quis in furto deprehenſus ſit, & ne prodatur ab eo, qui deprehenderit, aliquid huic dederit, ſuccurri debeat metum paſſo per Edictum quod metus cauſſa, quoniam non alia ratione motus dedit, quam quia ſi proditus fuiſſet, mortem, aut vincula pati debuiſſet; quamobrem illum, qui accepit, propoſita contra eum actione ad reſtitutionem cogendum eſſe voluerunt: *L. 7. D. de eo, quod metus cauſſa geſtum erit*. Hoc idem omnes Juriſconſulti recentiores docent, quod apud Gloſſam, Zaſium, Duarenum, Equinarium Baronem, Donellum, Connanum, Huberum, Striichium, & alios innumeros videre potes. Idem & illi, qui de Jure naturæ ſcripſere, etiamſi a fide & Theologia noſtra alieni eſſent, diſertis verbis pluribus in locis tradidere, quemadmodum apud Grotium, Pufendorfium, Heineccium reperire poteris. Jam quæ impudentia, ne quid pejus dicam, tua eſt, Staidelj, quod Juriſconſulti omnes gentiles, Hæretici, Catholici, antiqui, & novi injuſtum eſſe uno ore prædicant, te id idem juſtum eſſe docere in Enchiridio quodam Theologiæ, in quo Chriſtianæ religionis perfectio exigit, ut ſanctiores morum regulas, & ſeveriora juſtitiæ præcepta ſequamur? Quod ſi ex fontibus Jureconſultorum nihil haurire volebas,

 ſal-

ſaltem Auguſtinum adiiſſes, cujus Epiſtola 54. potuiſſet te ab hac tua tam injuſta ſententia removere. Sed jam pergamus.

Tu pag. 154. ita ſcribis: " Filius mercatoris valde „ induſtrius negotia patris gerit, & patre inſcio magnos „ ſumtus facit ludendo, & manducando. Eſt ne fur? „ R. hunc filium, demtis expenſis, quas in eo alendo „ facit pater, tantum poſſe accipere pro ſuo labore, in„ duſtriave, quantum extraneo præberet, ſi pater non „ erat facturus per ſe, ſed per alium. " O iniquam, & homine maturo indignam ſententiam! quam ego te non ex Theologo, aut Juriſconſulto aliquo, ſed ex improborum, & petulantium adoleſcentum ſermonibus, qui in Plauti, & Terentii fabulis leguntur, depromſiſſe ſuſpicarer, niſi latinæ tuæ orationis impuritas palam oſtenderet, te nunquam hos conſpexiſſe libros. At quæ te ratio movere per Deum immortalem potuit, quamobrem Filium ejuſmodi furtum non facere ſtatueres? Nonne furtum definitur eſſe contrectatio rei alienæ invito, aut ignaro Domino lucri faciendi cauſſa facta? Nonne filius lucrum facit patre inſcio ex paterna pecunia? Nam quod filius poſtea eam pecuniam diſſipat, tam parum ad eum excuſandum facit, quam ſi alius quilibet fur rem furtivam profligaret? Nonne filius patri obſequi, & operas ei præſtare etiam ſine ulla utilitate tenetur? Nonne major in filio fides erga Patrem, quam alterius cujuſque mercenarii erga Dominum & a naturali ratione, & ab æquitate, & ab ipſa pietate exigitur, ſuadetur, poſtulatur? Quid ergo eſt, ſi furtum non eſt? Edic utrum bonum factum eſt, an malum? Primum non dices, opinor; at ſi malum factum eſt, quid poteſt eſſe aliud, quam furtum? At dicis, pater eam pecuniam, quam filius abſumſit, alteri daturus fuiſſet. An ergo furtum non erit, ſi fur auferat eam pecuniam, quam Dominus fuiſſet alteri donaturus? An ergo filius de paterna hac pecunia ſuo lubi-

lubitu diſponet? An ergo eodem pacto docebis, poſſe filium hanc ſibi pecuniam retinere, & lucrari? Jam quid hoc eſt aliud, quam aperire fores nequitiæ, & injuſtitiam in forum, atque in omnium patrum familias domos introducere? Qua de cauſſa omnes tibi patres iratos, atque infenſos eſſe oporteret, quoniam eis fures in Ædibus collocas. Nam quum in filios familias luxurioſos tam ſis benignus, eadem ratione & ſobriis, ac temperantibus favere debes: quare ſi illi dilapident, hi lucrifaciant, & in proprios uſus bene convertant pecuniam paternam, furtum ex neutra parte erit. Itaque Patres familias nec a probis, nec a malis filiis tuti erunt. Magnam profecto, & ſolidam gratiam initurus es ab omnibus filiis familias libidinoſis, improbis, dementibus; ſed non ab his modo, verum etiam ab avaris, & ab iis, qui paternas opes vivo patre expilant, & ſeparatum ſibi peculium conflant.

Sed heus tu furum fautor, atque defenſor, nimis jam mihi bilem moves, quum te tuorum Clientum cauſſa videam facere facinora immortalia, & nimis magnas machinas parare, nimioſque dolos cudere, ut eos ſtrenue tuearis. Nam pag. 208. doces, eum qui bonis ceſſurus eſt, tantum ſibi clam retinere poſſe, quantum ei ad neceſſaria alimenta ſufficiat, quamvis id cum creditorum præjudicio faceret; quam ſententiam ut Clero tuo, ceteriſque Lectoribus probes, Legum auctoritatem allegas. Edic autem ubi ſunt iſtæ Leges, quo in loco reperiuntur, ubi deliteſcunt, ubi præſcriptæ ſunt, quo in populo latæ, aut cujus imperio ullo unquam tempore promulgatæ fuerunt? Quæ natio unquam tam barbara, & tam inhumana extitit, quæ decoctoribus, quæ prodigis, quæ perditis hominibus adverſus Creditores eorum ſuccurrendum eſſe ſtatuerit? Quis legiſlator tam ſævus, tam crudelis, tam improbus fuit, ut Lege aliqua Debitoribus concederet facultatem ea bona furandi, quæ Credito-

toribus jure debentur ? Nam illa lex septima Cod. Titulo *de his, qui bonis cedere possunt*, quam tu in eo loco citas, tota contra te est. Profer itaque, si potes, alias Leges, ostende, indica, aut patere, te fallum esse, & hominibus frustrandis, atque circumveniendis operam dare, palam prædicem. Extant profecto Leges, quæ nolunt a Creditoribus auferri Debitoribus jumenta ceteraque instrumenta ad agriculturam necessaria. At primum hæ Leges tum id servari volunt, quum alias res habet debitor, quibus Creditori satisfieri possit; nam si nihil aliud haberet debitor præter hasce res ad culturam agrorum necessarias, tum in his quoque executionem fieri, eædem ipsæ Leges permittunt. Deinde quando res ad culturam necessariæ legibus excipiuntur, non etiam cetera, quibus ad vitam deinceps tolerandam Debitores indigent, excepta videri debent, quoniam hæc interpretatio, & ab ipsa ratione legis, & ab æquitate naturali vehementer abhorret. Quare si dolo malo, & singulari erga fures studio hanc improbam Doctrinam tuam protulisti, homo es valde injustus, si rationis inopia, & juris ignorantia hæc tradidisti, patere, ut plautinis versibus exclamem.

Quicumque ubi sunt, qui fuere, quique futuri sunt post hac,
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,

eos solus tu longe anteis stultitia, & moribus indoctis. O morum rectrix, atque gubernatrix Theologia, quam misere te Discupuli tui lacerant, quam improbe te tuaque sanctissima præcepta deserunt, quam perniciosas, atque perversas doctrinas libris suis spargunt, atque disseminant in orbis memoriam sempiternam! Quanto justiores, & in genus humanum æquiores sunt Legum Romanarum interpretes, qui unica veste ad corpus tegendum excepta, ne unum quidem obulum ab eo, qui bonis cedit, retineri posse tradunt, quod jam dudum post. *Angel*

Plat.

Plat. & Fabr. Bartolus in Leg. fin. C. qui bonis ced. possunt. Jason §. fin. Inst. de act. n. 93. & Gait. de credit. cap. 4. n. 115. docuere.

Sed perpende Staidelj paullisper ipse tecum, quantas iniquitates hæc una sententia tua complectatur. Primum in eos, qui plerumque improbi homines sunt, & qui jure meritissimo in furcam agi deberent, comis est & liberalis: in Creditores autem, qui ab omni dolo, & culpa vacant, crudelis & sæva: tum eos, quos aut artium professione, aut manuum suarum opera, aut certe mendicando victum sibi, & familiæ suæ parare oporteret, tu in gravi veterno torpere, & Creditoribus furari permittis: post eos, quorum valde suspecta fides est, judices constituis in propria caussa, quum ipsis facultatem tribuis, ut ex eo, quod Creditorum est, delibent, quantum ad victum suum, familiæque suæ suppeditare ipsi judicabunt. Denique quum æquum sit, ut quando Creditores sua sponte volunt communi Debitori alimenta relinquere, in ea pro rata sui crediti unusquisque Creditorum contribuat, & singuli aliquam crediti sui jacturam faciant, tu indulgendo Debitori, ut ipse sibi res ad victum necessarias clam retineat, facis, ut omne detrimentum chyrographarii tantummodo Creditores sentiant, ii autem, quibus bona immobilia oppignerata sunt, nullo in damno versentur, quum res immobiles a Debitore surripi nequaquam possint. Est autem iniquissima ut quum eadem esse deberet omnium Creditorum hac quidem in re conditio, tu tamen, Steidelj, hac sententia tua patieris, ut alii damno adficiantur, & rerum sibi debitarum jacturam faciant: contra alii id, quod ipsis debetur, integrum consequantur. Plane, ut videtur, id tibi propositum est, ut furibus placeas quamplurimum: nam pag. 175. doces: ut si quis: " fur otiosum equum „ ex equili Caii abduxisset, ac post aliquot dies incolu- „ mem reddidisset, ad nihil aliud teneretur. " Ergo ne

ad

ad pretium usus quidem? At quæ ratio esse potest hujus tam novæ, atque hactenus inauditæ doctrinæ? Ego ex tuis verbis eam esse colligo: quod nihil damni datum sit Domino equi, quoniam equo suo per eos dies usurus non erat. Jam vero si usus caussa nihil in tua quidem sententia præstandum est, ac si solius damni ratio haberi debet, quum re aliena utimur, sequi necesse est, ut in locatione, conductione locator pro rei suæ usu, quem alteri concedit, nihil exigere possit, si damnum ei nullum, quum res sua ipsi abest, oriatur. Nam si usus rei alienæ conductorem non obligat ad præstandam locatori mercedem, sed merces tantum ratione damni solvenda est, efficitur, ut quum damnum abest, solius usus caussa nihil solvi oporteat. Si vero solus usus titulum Locatori præbet ad postulandam jure mercedem, quamvis ipse Locator re sua usurus non fuisset, neque damnum aliud, ea de causa patiatur, non video, cur in locatione, conductione pretium pro solo rei alienæ usu præstandum sit, in furto non sit, neque intelligo, quæ caussa sit, cur furi faveamus, non item conductori; denique non perspicio, cur bonæ fidei possessorem ad dandum pro usu rei alienæ pretium condemnemus, prædonem autem, & furem absolvamus? Lepidum profecto Theologum nacti sumus, qui nulla certa principia suæ doctrinæ habet, qui nullas ducit ex suis principiis consequentias, qui non ut ratio postulat, sed ut casus fert, quamlibet quæstionem definit, qui rationem derelinquit, ut benignus sit in omnes improbos, in perditos, in damni cupidos.

Sed quando dicis eum, qui equum incolumem reddiderit, ad nihil præterea teneri, sequetur, ut ne ad illud quidem damnum resarciendum teneatur, quod Dominus equi ea de caussa passus est, quod equi stercore per diuturnum fortasse tempus carere debuit. Quare si

Do-

Dominus dicat, se stercore ad agrum suum stercorandum indiguisse, tu tamen hunc a te abiges, neque ei quicquam a fure exigere permittes, quia fur ei equum otiosum surripuit, & incolumem reddidit. O bonum virum, o præclarum Theologum, & excellentem examinatorem prosynodalem? An tu eam Theologiam habes, quam Ballio ille Plautinus sequebatur, qui omnes bonos odio habebat, omnes contra improbos complectebatur, hanc sui moris rationem addens, nam.

Boni Viri me pauperant, improbi alunt,
Augent rem meam mali, populi strenui
Damno mihi, improbi usui sunt.

Quamvis ego non hanc tuæ tam benignæ doctrinæ caussam esse arbitror, verum illam potius, quod nulla habes in Theologia principia, sed omnia casu ita effutis, atque in chartam conjicis, ut tibi in mentem veniunt. Moveor, ut ita sentiam, quia videre te tamen alio in loco severiorem esse in fures, quam jura sive divina, sive humana permittant.

Nam pag. 132. doces, quod " Leges tam divinæ, „ quam humanæ permittant, furem nocturnum, qui ignoratur, an rebus, vel etiam vitæ insidietur, aut furem „ diurnum, qui se telo defendat, interficere. " Sed jam quæro ex te, quid si fur diurnus rem modicam auferat tibi, & qua sine magno tuo incommodo carere possis? Num si fur se telo adversus te eum persequentem defendat, tu eum jure occides, an potius pati debes ut rem furatam impune secum auferat? Item si rem magni valoris, qua carere non possis, fur tibi surripiat, sed prævideas fore, ut clamore facto populi concursus fiat, & fur retineatur, atque ad Magistratum ducatur, utrum eum nihilominus persequi, ac si se telo defendat, occidere tibi licebit? Denique si fur tantum in bonis habeat,

ut

ut nihil dubites, quin æstimationem rei furatæ ab eo consequi possis, hunc a te jure interfici, si se defendat, posse putabis? Si in hisce facti circumstantiis, quas recensui, jure posse furi mortem inferri arbitraris, homo es valde injustus, & horribilem, atque execrandam Doctrinam, quam ne hæreticorum quidem quisquam ullo unquam tempore tradidit, profiteris, & possunt te Grotius, Pufendorfius, Barbeiracius, Heineccjus, quos tu viros ludibrio habere soles, multo meliora docere. Quod si vero has limitationes ad propositionem tuam admittas, sine, ut doleam te examinatorem prosynodalem tam male consulere clero tuo, ut quæ paucis verbis exprimi potuissent, silentio prætermiseris, & errandi occasionem in re adeo magni momenti plerisque reliqueris. Sed vehemens mihi dubium oritur, ne occisoris caussam magis, quam par est, tueri propositum tibi fuerit.

Video enim te p. 19. hæc verba scripsisse. " Titius „ me armis invadit, quem etsi fugere possim interficio, „ ne imbellis videar. Estne casus reservatus? Minime. " Ergo tua quidem sententia timor ignominiæ aliquam præbet homicidæ excusationem? At contra videtur vel iis ipsis, qui a nostra religione dissentiunt, ut videre licet apud *Grotium de jure Belli, & Pacis cap.* 1. §. 10. *lib.* 2. *Buddeum in Philos., Part.* 2. *cap.* 4. *sec.* 3. *Heinecc. de Jur. nat., & Gent. Lib.* 1. *cap.* 7. §. 187. Quid igitur in eos inveheris, qui Hæreticorum libros legunt, quum ab eis sanctiora traduntur præcepta morum, quam illa sunt, quæ tu Theologus in Theologico opere Lectoribus catholicis tradere, & persuadere conaris. Ego mallem auctor esse cuicunque, ut de iis rebus, quæ ad hominum officia pertinent, quemlibet potius Auctorem paganum, aut hæreticum, quam opera tua, Staidelj, consuleret; minus etenim profecto deciperetur ab iis, quam a te, qui nulla officii præcepta firma, stabilia, & conjuncta naturæ tradis, qui consequentia non cernis, similitudines non com-

paras,

paras, paria cum paribus non connectis, tibi ipse non consentis, & Doctrinam habes minime inter se consentaneam. Cujusmodi est illa Doctrina de mutuo, & censu germanico, quum in mutuo negas quidquam ultra sortem exigi posse: contra id ipsum permittis in censu germanico; at ego ex te quæro, qua de caussa in censu auctarium feras, in mutuo non feras? An quia nominis sono census germanicus a mutuo differt? Stultus es, si nominis rationem habes, nec potius ipsius contractus naturam spectes. An quia natura utriusque contractus diversa sit? Falsum est, quia uti in mutuo, ita in censu dominium pecuniæ ita transfertur in accipientem, ut ea aliquando danti restituenda sit. An quia in censu titulus exigendi auctarii adest, in mutuo non adest? Sed hoc quoque falsum est, nam in mutuo justus quandoque titulus petendi aliquid ultra sortem intervenire potest, quod omnes Theologi, & Jurisconsulti fatentur: contra contingere aliquando potest, ut in censu nullus adsit titulus, quamobrem auctarium petere tibi fas sit, præter unicam contrahentium conventionem, quod tute ipse in Enchiridio tuo doces. Quare ex hoc efficitur, ut quum tam mutuum, quam census germanicus iidem sint plane contractus, & nominis tantum sono discrepent, alterutrum docere debeas, sive ut tam in mutuo, quam in censu germanico aliquid ultra sortem peti possit, quamvis omnis titulus absit, sive ut non solum in mutuo, verum etiam in censu germanico omne auctarium injustum esse pronuncies, nisi titulus ejus exigendi accedat. Tu eos principium petere dicis, qui negant censum germanicum a mutuo differre, quare hoc ab ipsis demonstrandum esse excipis. Satis profecto inepte, quum nemo tam stultus esse possit, ut hæc non perspiciat. Nonne in censu unus dat, alter accipit pecuniam? At hoc idem fit in mutuo. Nonne in censu dominium pecuniæ a dante transfertur in accipientem? At hoc ipsum usuvenit in mutuo. Nonne

in censu restituenda est aliquando a debitore pecunia? At hoc etiam requiritur in mutuo. Nonne igitur per omnia similes sunt ambo isti contractus? Aut si quæ dissimilitudo est inter ipsos, cur tu eam non aufers, non probas, non allegas. Nam tibi jam incumbit onus exceptionis tuæ probandæ, quum nos ea præstiterimus, quæ debebamus. Quod si vero non ostendes, quod certe nunquam poteris, aliquam subesse inter hosce contractus in ipsa natura differentiam, tum ea salva manebunt, quæ supra diximus. Neque te juvat illa comparatio, quam pag. 175. facis; ubi ita scribis: " Dic mihi si noster fur equum ex
" equili Caii abduxisset, ac post aliquot dies incolumem
" reddidisset, ad nihil aliud teneretur. Si vero noster
" Sempronius a Cajo illum equum petiisset, Cajusque be-
" nigne commodasset, tum Sempronius, perinde ac fur
" equo restituto ad nihil aliud teneretur. Si autem Cajus
" locasset equum Sempronio, non ne in foro non solum
" fori, sed etiam poli præter equi restitutionem pactum
" prætium exigere posset, nec foret merus verborum lu-
" sus. " At quantopere hæc tua ratiocinatio falsa, & inepta sit, videamus. Quod initio dicis furem, qui otiosum equum abstulit, si eum incolumem restituat, ad nihil teneri præterea, quam injustum, & iniquum sit, supra ostendimus. Lepidum itaque Philosophum nacti sumus, qui pro comparationis suæ principio rem falsam, & iniquam assumit. Deinde quod dicis eum, qui commodato accepit equum, nihil præter hunc reddere teneri, hoc ex natura commodati venit, quod in eo differt a locatione conductione, quod commodatum non aliter quam gratis, contra locationem, & conductionem, non aliter quam certa mercede contrahimus. Quare quum hi contractus sua sint natura diversi, sequitur, ut alter gratuitus, alter onerosus sit. Non potest itaque hæc comparatio ad eos quoque contractus pertinere, quorum eamdem constat esse naturam, ut in mutuo, & censu germani-

manico. Sed hæc tua comparatio alia quadam de caussa perquam stulta, & absurda videri debet. Nam quando agitur de usu ejus rei, quæ mea manet, alteri cuipiam per contractum concedendo, in arbitrio contrahentium est, utrum hoc gratis, an mercede facere velint, quia certum est, pro usu ejus rei, quæ concedentis manet, pretium exigi pro lubitu posse. At quum rei dominium a dante transfertur in accipientem, tum dubium oritur, utrum is, qui rem acceptam restituere aliquando tenetur, simul etiam ad auctarium obligari possit? Ratio dubitandi est, quia non videtur jure peti posse pretium ejus rei, quæ mea amplius non est: Hæc ratio facit, ut tu teneas non licere in mutuo petere usuras. Sed quum hæc ratio etiam in censu procedat, quæ caussa est, ut eam deseras, & ut fraudem patiaris tam legi, quam rationi fieri per solam nominis mutationem? In commodato, & in locatione conductione nulla fraus legi fit, qualiscunque contractus ex illis ineatur; at in mutuo & in censu germanico fraus fit ei legi, quæ me ex re, quæ amplius mea non est, quidquam ultra sortem poscere vetat, si quod auctarium in mutui datione non possum, id per census germanici contractum percipiam. Tute igitur, Staidelj, jam facile judicare poteris, quam sis in comparando & ratiocinando ineptus. Injuriam autem gravem doctissimo viro Antonio Genuensi facis, quem tecum sentire pag. 173. dicis. Nam hic nullum de censu germanico vel minimum verbum facit, sed id tantum docet, licere jure naturæ in ipso mutuo exigere auctarium, si pecunia, quæ datur, in manibus ejus, qui accipit frugifera futura sit. Ergo gravis iste auctor in ipso mutuo usuras admittit. Tu autem eas in mutuo illicitas, contra in censu germanico licitas esse ais: qui contractus quum iidem natura sua sint, tu fraudem legi, quam existere fateris, mero verborum sono facis. Multi quidem viri docti & olim fuerunt, & nunc sunt, qui

usuras in mutuo minime prohibitas esse statuerunt . At quod in mutuo vetitæ , contra in censu germanico permissæ sint , nemo nisi insipiens aliquis , & mente captus dixit . Sed essem plane prolixior , quam aut oportet , aut propositi mei ratio postulat , si omnes Enchiridii tui locos persequi vellem , in quibus a te justitiam violatam , & officium omne perversum esse animadverti . Quare jam tempus est , ut quomodo & verecundiam atque continentiam læseris , cognoscamus . Sed hac in re ideo ero brevior , quia animus meus a rerum turpium & obscænarum tractatione vehementer abhorret . Tu pag. 77. doces . „ Si Marcus ab uxore absens de ea sæpe cogitat , ac de „ præteritis , & futuris conjugalibus amplexibus valde de„ lectatur . Non erit gravis culpa , si absit periculum pol„ lutionis . “ At si nulli mortalium datum est , ut possit ante prævidere , quid post rerum obscenarum recordationem , atque delectationem sequuturum sit , hæc tua doctrina plane inutilis erit , atque otiosa ; vel certe homines impuros , & voluptatibus deditos , ut se se periculo committere , & exitum voluptuosæ recordationis expectare audeant , invitabit ; quibus si aliquando casu contingerit ut suo pericolo , sine pollutione defuncti sint tum tibi habebunt maximas gratias , & benevolam doctrinam tuam summis laudibus prosequentur , quoniam illis per eam licuit suos amores , consuetudines , cocos , ludos , sermones , suaves saviationes , amantum corporum compressiones , teneris labellis molles morsiunculas , ac reliqua omnia , quæ Pseudolus apud Plautum memorat, sine gravi peccato recordari . At quum hæc scribebas , nihilne te ratio ab Antoine *Tract. de obligat. cap.* 3. §. 9. adducta movebat , qui ejusmodi maritum gravi in culpa versari ea de caussa docet , quoniam . “ Delectatio ve„ nerea quævis valde commovet spiritus genitales eorum„ que molem excitat , quæ commotio spirituum genita„ lium ex natura sua tendit , & ordinatur ad seminis ef-

„fusio-

„ fusionem , ideoque absente cum parte ad pollutionem .
„ At sicut pollutio est lethalis , ita & omnis actus volun-
„ tarius natura sua ad illam ordinatus . Ita *Navarrus* ,
„ *Sylvest.* , *Azor* , *Vasquius* , *Layman* , & alii . " Quum itaque dicis , culpam non esse gravem , quando periculum pollutionis abest , maritis facultatem ariolandi tribuis , nam nisi qui mariti sunt , iidem & divinatores sint , profecto non poterunt , utrum sequutura sit pollutio , nec ne, tuto prævidere : si autem exitus incerti in periculum sese conjiciant , magnum scelus admittunt ; quod & ratio docet , & omnium Theologorum consensus , auctoritasque declarat . Sed quum divinandi facultate nullus maritorum præditus esse possit , sequitur , ut nemo jam queat esse certus , se ex delectatione venerea sine ulla pollutione emersurum esse . Quare temere agit, qui animum suum ab ejusmodi delectatione continuo non revocat : omnis autem in re gravi temeritas insigne peccatum est .

Sed quid ego a te continentiam , & verecundiam læsam esse doleo , quum ipsam in Deum optimum maximum pietatem tollere , & funditus evertere non dubitaris ? Nam quid spectat aliud ea propositio tua , qua pag. doces graviter non peccare eum , qui quum occupationibus districtus sit per viginti , & plures etiam dies ab omni prorsus oratione abstinet , & exemplum de milite in obsidione occupato adducis ? Ergo in tua , Staidelj , sententia qui maximo divino auxilio indiget , qui proximus morti est : qui in extremo periculo est constitutus , nullum grave peccatum admittet , quando tam parum suæ præsentis , futuræque salutis memor est , ut ad eum nullas fundat preces , qui ipsum unice regere, adjuvare , & succurrere potest ? Ergo tum maxime Dei oblivisci licebit , quum ejus ope , auxilio , gratia quam minimum carere poterimus ? Apage, Theologe , cum ista nugaci impietate tua !

Non

Non minus autem impiæ ſunt propoſitiones illæ tuæ, quas de cultu feſtorum dierum pag. 141., & ſeq. tradidiſti, quum doceas, eum ſatisfacere præcepto, qui in diebus feſtis audito miſſæ ſacrificio per reliquum diei tempus aut venationi, aut librorum prophanorum lectioni operam dat. Tu ſi paullum modo in hiſtoria Eccleſiaſtica verſatus eſſes, ſi veterum Chriſtianorum mores exploratos haberes, ſi Conciliorum Decreta teneres, ſi vel Hereticorum hac de re libros, veluti Tinghami Origines Eccleſiaſticas perlegiſſes, denique, ſi ea ſcires, quæ unumquemque theologum ſcire oportet, has in Deum injurioſas doctrinas profecto non effutires: vide enim, quam parum cum Eccleſiæ placitis hæ tuæ ſententiæ conveniant, ut & concilia pleraque, & Cathechiſmus Romanus tuam doctrinam aperte improbent, atque refellant. Quamobrem ipſa quorundum Conciliorum, & Cathechiſmi verba adferam, ut eo facilius errorem tuum aliquando agnoſcas. " Canon Jejunia diſt. 3. de conſecrat: Die
„ Dominica nihil aliud agendum eſt, niſi Deo vacan-
„ dum. Nulla operatio in illa ſancta die agatur, niſi
„ tantum hymnis, & pſalmis & canticis ſpiritualibus dies
„ illa tranſigatur. Nicolaus I. in reſp. ad Bulg. conſulta
„ cap. 10., & 11. Dominico die a labore terreno ceſſan-
„ dum, ac omni modo orationibus inſiſtendum, ut quod
„ negligenter per ſex dies agitur, per diem Reſurectio-
„ nis Dominicæ precibus expietur: ut liberius ad Eccle-
„ ſiam ire, pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus
„ inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre, memo-
„ riis ſanctorum communicare, ad imitationem eorum aſ-
„ ſurgere, eloquiis divinis intendere, elemoſinas indi-
„ gentibus miniſtrare valeat Criſtianus: quæ omnia ſi quis
„ negligens, orationi tantum vacare noluerit, & ad ce-
„ teras mundi vanitates licitos labores converterit, me-
„ lius ei fuerat ipſa die laborare manibus ſuis, ut habe-
„ ret, unde tribueret neceſſitatem patientibus. " Conc.

Turo-

Turonense Caroli M. ætate celebratum an. videl. 813. cap 40. " Oportet, omnes Christianos in his diebus a
„ servili opere cessare, & in laude Dei, & gratiarum
„ actione ad vesperam usque perseverare. " Conc. Remense an. 1583. de festis diebus hæc præscribit: diebus
„ Dominicis, & festis in suas paræcias populus conve-
„ niat, & missæ, concioni, ac vesperis, intersit. "
Conc. Burdig. eodem anno tit. de Festis hæc suis Parochis mandat: " Omnibus Provinciæ nostræ Parochis in-
„ dicimus, ut populum suum frequenter, & serio com-
„ monefaciant, ut diebus festis non solum a quibuslibet
„ prohibitis operibus se se contineant; verum etiam sacris
„ omnibus ministeriis, & divini verbi prædicationi, quan-
„ tum fieri possit, ex animo, & religione intersint: nec
„ pietatis opera itidem prætermittant, in pauperibus re-
„ ficiendis, afflictis consolandis, aliisque piis rebus geren-
„ dis, in quibus Christiana professio & charitas maxime
„ elucescit. " Conc. Aquen. an 1585. tit. de Fest. cul. "
„ doceantur crebro ab his, ad quos pertinet, ut festos
„ dies, qui Dei cultui dicati sunt, in divinis officiis,
„ concionibus audiendis, nec non in orationibus, ac con-
„ tinuis erga nos beneficiis recolendis, sancte ac pie
„ transigant; præsertim ut præter missam, quæ sine
„ gravissimi peccati culpa prætermitti non potest, præter
„ vesperas item, quibus fidelem quemcumque, nisi im-
„ peditum, interesse maxime convenit, in doctrinæ chri-
„ stianæ rudimentis, omnes tam mares, quam fœminæ;
„ tam viri, quam pueri; vel perdiscendis, si illa igno-
„ rent, vel aliis perdocendis versentur. " Con. Avenion. an. 1594. cap. 43. " Doceant Parochi ceterique verbi dei
„ præcones, diebus festis Dei cultui dedicatis, divinis
„ officiis, concionibusque audiendis, ceterisque id genus
„ piis operibus vacandum esse. " Conc. Aquilei. 1596. Can. 14. " Tempus diei Festi in audiendis concionibus,
„ missæ sacro, & divinis officiis ponendum est. " Cate-
chis-

chiſmus Conc. Trid. 3. p. de 3. præcepto num. mihi 25.“
„ Neque vero Parochus illud prætermittere debet, ut
„ diligenter doceat quibus in operibus, atque actionibus,
„ Chriſtiani homines diebus feſtis exercere ſe debeant, vero
„ ejuſmodi ſunt, ut ad dei templum accedamus, eoque
„ loco pia, ſinceraquæ animi attentione ſacroſanctæ
„ miſſæ ſacrificio interſimus, divina Eccleſiæ ſacramenta,
„ quæ ad ſalutem noſtram inſtituta ſunt, ad animæ vul-
„ nerum curationem crebro adhibeamus ..... attente
„ præterea, diligenterque ſacra concio Fidelibus audien-
„ da eſt ..... Exercitatio item, & ſtudium Fidelium
„ in precibus, diviniſque laudibus frequens eſſe debet,
„ præcipuaque eorum cura, ut quæ ad chriſtianæ vitæ
„ inſtitutionem pertinent, ea diligenter addiſcant, ſedu-
„ loque ſe exerceant in iis officiis, quæ pietatem conti-
„ nent, pauperibus, & egenis elemoſinas tribuendo,
„ ægros homines viſitando; morientes, quique dolore
„ afflicti jacent, pie conſolando ..... Ex his, quæ di-
„ cta ſunt, facile erit colligere, quæ contra hujus præ-
„ cepti regulam committuntur. “ Conc. Mediolan. *tit. de Feſt. Dier. cul. ad Concilia Narbon., Biturric., Triburien. Matiſcon. ad S. Antoninum 2. p. tit. 9. c. 7. §. 4. & ad Cajetanum in ſummula, verbo Feſtum. Synodus ſexta can. 9.*
„ Diei Dominicæ tanta debet eſſe obſervantia, ut præ-
„ ter orationes, & miſſarum ſolemnia, & ea, quæ ad ve-
„ ſcendum pertinent, nihil aliud fiat.

Plura omnino iniquitatis, & impietatis tuæ exempla, Staidelj, commemorare poſſem: quæ nunc quidem ſilentio pertranſire decrevi: quia mihi id unice propoſitum eſt, ut te condocefaciam, non ut urgeam, ut te ad erroris tui agnitionem perducam, non ut accuſem, ut te a ſcribendo in poſterum dehorter, non ut irrideam, atque obruam. Proin tu, ſi ſapies, ingentes errores tuos ſincere, atque ingenue profiteberis, populumque, ut ab eis caveat, ultro monebis. Neque expectabis, ut ſummus Pon-

Pontifex librorum ſuorum lectionem publico quodam edicto prohibeat. Non pugnabis itaque mecum, non contendes, non luctaberis, neque mihi, aut ulli amicorum meorum more tuo obtrectabis, aut maledices. Habeo alia quamplurima, quæ a me, niſi reſipueris, omnia proferentur: atque ita me Deus perpetuo adjuvet, ut ego centenas ſententias tuas iniquas inhoneſtas, inverecundas, impias jam nunc in promtu habeo, quas ſi mihi ſtomachum movebis, omnibus patefaciam, atque oſtendam: quibus alias quoque plures ejuſdem generis doctrinas tuas profecto adjiciam, quum nihil mihi facilius ſit, quam quantucumque libuerit injuſtitiæ, & ineptiarum exempla ex libris tuis, quos vario in genere edidiſti, depromere. Tu a ſermonis peritia, tu a judicio, tu a methodo, tu ab ordine, tu ab eruditione, tu a Philoſophia, tu a Theologia deſtitutus es; hoc tu ipſe jam perſpicere, & intelligere potes, ſi modo tecum ipſe cogitas, quod omnes libri tui in tabernis ſpreti, atque comtemti jacent, aut certe garo, larido, ceteriſque ſalſamentis circumvolvendis attribuuntur. Quis igitur te furor, quæ libido ad ſcribendum impellit, præſertim in hac litterarum luce, in qua quidquid paullum modo a ſummo diſcedit, continuo ad imum vergit? An Horatianum illud ignoras, quod

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis
Indoctus pilæ, diſcive, trochive, quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum tollant impune coronæ.

Ac profecto omnes riſum tollunt, quum tu quid in lucem edis, præter bonos, & ſimplices illos clericos, quorum alios timor tanti examinatoris proſynodalis, qualis tu es, a tui deſpectione cohibet, alios in ſchola tua educatos, atque ſeductos bona quædam jam tum de te tuaque doctrina concepta opinio in exiſtimatione tui con-

tinet. Quæ quidem Clericorum persuasio quoniam cum maximo Reipublicæ, Religionis, ac rei litterariæ detrimento conjuncta est, Deum Immortalem non aliquo, Staidelj, odio tui, sed plane veritatis, & justitiæ amore incensus rogo, atque oro, ut ne hoc malum tam ingens, tam exitiosum, tam detestabile diutius in hac nostra regione serpere, atque regnare patiatur.



AD-

ADDITIONES
AD
DISSERTATIONEM.



Lura Staidelianæ esseruditionis, parum sibi constantis animi, ac in sua opinione obfirmati, exempla proferri possent; sed heic unum notavisse, satis. Differens de secundo Casu Reservato homicidii voluntarii in exemplum adduxit illud Amalecites, qui Saulem occidi rogantem interfecit. Super hoc ab Anonymo Theologo jure meritoque cum notatus fuisset, adhuc tamen in subsequentibus editionibus præfracte retinuit idem exemplum, quasi a proposito nihil disjunctum, ut videre est in recentissima edit. anni superioris pag. 19., tametsi ingratiis in adnotatione ad eandem paginam fateri coactus fuerit, incertum esse, *suane Saul, an aliena manu ceciderit*. Porro id adeo a suo proposito disjunctum est, ut adseruerit in Disputatione I. de casibus Reservatis, ad reservationem requiri peccatum mortale ita certum, ut *in probabili dubio saltem facti non sit Casus Reservatus*. Atqui secundum P. Staidelium in Casu Amalecites habetur probabile dubium *Facti*, scilicet, *suane Saul, an aliena manu ceciderit*; ergo extra rem, & propositum homicidii voluntarii reservati est illud

Ad §. ubi de confusa, atque inter se diffidenti P. Staidelj doctrina agitur.

 exem-

exemplum Amalecites, pro quo sexcenta alia certiora, aptioraque suppetebant. Mitto inter sacros Interpretes probabilius esse, quod Saul propria manu sibi mortem consciverit.

Ad §. de Mutuo, & Censu germanico. Fœneratoriam esse Staidelianam Census Germanici Doctrinam, satis etiam constat ex eo, quod tradit S. Bonaventura. Ait enim Seraphicus Doctor *de X. Præceptis serm. 6. super V. VI. & VII. Præcept.* " Sed quæritur, ,, si accommodo tibi vestem, vel Equum, ,, vel Domum, & accipio denarios, non est ,, usura, sicut de pecunia? Dico, quod in ,, Veste, vel Equo, vel Domo trahitur usus ,, ex re, non ex pecunia; & ideo non di- ,, citur usura. Aliqui credunt quod Usura ,, sit mala, quia prohibita; sed certe est ,, prohibita, quia mala. Item in mutuo meum ,, fit tuum; & si tu aliquid acquiris per in- ,, dustriam tuam ex illo mutuo, & ego ex ,, illo aliquid repeto, vendo tempus, quod ,, est commune, quod non est licitum ven- ,, dere. Sed in Accommodato non tran- ,, sit mea res in tuam in mutuo pecunia ,, mea fit tua, & non minoratur pecunia, ,, nec pejoratur; sed in Accomodato Domus ,, mea, Vestis mea, non fit tua, & mi- ,, noratur, & pejoratur Domus, vel Ve- ,, stis; & tu elicis ex ea utilitatem tuam, ,, non sicut ex tuo, sed sicut ex re mea, ,, & diminuitur, & pejoratur; Pecuniam au- ,, tem mutuatam totam, & integram, ,, oportet, quod mihi reddas; & ideo non ,, excusor, cum peto aliquid de mutuo, & ,, est ibi perversio ordinis, & appropriatio ,, communitatis." Simillima habet idem S. Doctor *in expositione in cap. 6. Evang. secun-*

dum

dum Lucam, ubi quærit, cur Usura prohibeatur, & respondet: " Ratio autem hujus pro-
„ hibitionis est multiplex; tum quia pecunia
„ propter accommodationem non deterioratur:
„ tum quia de se non fructificat, sed tota
„ ratio utilitatis est ex parte utentis: tum
„ quia continue consumit, & devastat; &
„ ideo commodum mutui convertitur in com-
„ modum damni: tum quia in mutuatione
„ pecuniæ transit rei mutuatæ dominium,
„ quia non tenetur eadem numero reddere:
„ tum quia totum transfertur periculum in
„ eum, qui fuerat mutuatus: tum etiam quia
„ in tali modo mutuandi plus diligitur num-
„ mus, quam Proximus; dum nummos Pro-
„ ximo accomodat, non ex amore Proximi,
„ sed ex amore nummi. " Denique *In* 3. *sent. Dist.* 37. *in præcep. Decalogi*. Non furtum facies. *Dub.* 7. ita scribit: " similiter non si-
„ mile de aliis possessionibus, & de pecunia.
„ Et hoc ex triplici causa. Prima ratio est,
„ quia in mutuatione pecuniæ transfertur pe-
„ cunia in Dominum alienum. Et hujus si-
„ gnum est, quia non tenetur illam eandem
„ numero reddere, sed illi consimilem (*&*
„ *ut loquimur in æquivalenti*); in accomo-
„ datione Domus, vel Equi dominium non
„ trasfertur. Alia vero ratio est, quia pe-
„ cunia tum in usum vertitur, non consu-
„ mitur, nec deterioratur; non sic autem
„ est de aliis rebus, quæ, secundum quod
„ magis, & diutius eis utimur, magis ten-
„ dunt ad defectum. Tertia vero ratio est,
„ quia pecunia, quantum est de se, per se
„ ipsam non fructificat, sed fructus venit
„ aliun-

„ aliunde; non sic autem est circa res, quæ
„ de se ipsis afferunt fructum, & utilitatem;
„ & ideo non est simile. " Igitur ex mente S. Bonaventuræ lucrum, quod exigis, mi P. Staidelj, ex accomodatione, sive locatione pecuniæ, usura est; & solum lucrum, quod petitur pro re, quæ commodata, & locata manet adhuc in dominio commodantis, & locantis, quæque *diminuitur*, *& pejoratur*, justum est, & licitum.

Pudeat ergo P. Staidelium ex Schola S. Bonaventuræ Theologum aut hæc numquam legisse, aut turpiter a Scholæ suæ Patrono, ac Principe desciviſſe. Sed adhuc magis pudeat eundem P. Staidelium immanis abusus, quo ipse Seraphici hujus Doctoris auctoritatem detorquet ad persuadendas in suo Enchiridio absurdas suas opinationes, & laxitates. Ex. Gr. dicit pag. 19. " Titius me armis invadit, quem etsi fugere possim, interficio, ne imbellis videar? Estne Casus reservatus? Minime, quia ex Doctrina S. Bonaventuræ non est homicidium voluntarium, sed ex necessitate, & quasi coactum "; cum tamen ex eodem S. Doctore illa necessitas sit *vitabilis*, nec proinde homicidium involuntarium reddere valeat. Hæc sunt ejus verba *cit. serm. 6. de X. Præcep. pag.* 405. „ necessitas vitabilis est, si possum effugere, „ sed dimitto propter verecundiam, vel aliam „ Causam ". Porro heic cognoscere licet, qua præstet eruditione, quove servandarum Legum zelo ardeat, P. Staidelius; longe enim aliorum Probabilistarum, qui honoris defendendi causâ licitum esse homicidium, asserue-

Ad §. de eo, qui alium interficit, ne imbellis videatur.

ferverunt, laxitatem superavit, & quidem post plura S. R. Sedis Decreta ad cohibendas injustas hujuscemodi teterrimas cœdes. Et vero Dominicus Viva in sua Trut. ad Prop. XVII., & XVIII. damnatas ab Alexandro VII. n. 5. ita scribit: " ut proinde Vir Equestris ex „ communi doctrina apud Lessium c. 3. tr. 3. „ p. 3. cap. 3., non teneatur fugere aggres- „ sorem cum suo dedecore, sed possit ab eo „ se defendere defensione occisiva; quod ta- „ men non est licitum Ecclesiasticis, aut ho- „ muncionibus, quibus fuga non est ignomi- „ niosa, ut docent communissime ". Intelligat sapientissimus Theologus Staidelius. Non est licitum Ecclesiasticis, qualis ipse, neque homuncionibus interficere aggressorem, quando fugere possunt, quia talibus fuga, probrosa non est, teste ipso Dominico Viva, qui inter benigniores Probabilistas, ne dicam Laxiores, merito habetur.

Etiam Patritius Sporer *Tract. 5. in V. Præcep. Decal. cap. II. sect. 3. §. 4. n.* 159, docet, „ ad honorem necessarium tuendum Viro ho- „ norato licere occidere injustum, ac contu- „ meliosum aggressorem ": Non igitur omnibus indiscriminatim, ut ferre videtur Doctrina Patris Staidelj, sed dumtaxat *Viro honorato*; non ad tuendum qualemcumque honorem, sed solum ad defendendum honorem *necessarium* licet occidere, non quemlibet invasorem injustum, sed invasorem injustum, ac insuper *contumeliosum*. Jam vero quæramus a P. Staidelio, num sibi viro Religioso, ac Regulari *necessarium* existimet honorem suum animositate, armis, contentionibus, cœdibusque

que defendere ; tametsi aliunde possit sibi fuga consulere , atque ab interimendo suo injusto Invasore abstinere ? Adde , quod in Ivasore Patris Staidelj nec contumeliæ umbram notare possimus . Hæccine est Charitas Christiana ? Hæccine Humanitas , & Lenitas Clericorum , & quidem Regularium .

Audiat insuper P. Claudium La-Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 803. " non teneris fugere Invasorem , si per hoc incurras gravem ignominiam " . Per hoc , quod imbellis videri deberet Pater Staidelius , non tam facile mihi persuaserim , gravem ipsi subeundam esse ignominiam ; quare ne quidem benignissimus P. La-Croix excusaret ullo modo Staidelianum homicidium .

At quorsum hæc ? Causa jam finita est . Benedictus XIV. 4. Idus Novembris 1752. damnavit quinque Propositiones de Duello , quas ex ordine recitavit idem ipse P. Staidelius sui Enchiridii *pag.* 224. . Ex prima autem Prop. constat , Virum militarem culpæ reatum incurrere , ac etiam pœnæ obnoxium esse , si offerat , aut acceptet Duellum , ne formidolosus , ne timidus , ne abjectus , neve ad officia militaria ineptus habeatur ; indeque officio , quo se , suosque sustentat , privandus sit ; aut promotionis alias sibi debitæ , ac promeritæ spe perpetuo carere debeat . Immo vero ne quidem excusari posset , si honoris tuendi , aut humanæ vilipensionis vitandæ gratia Duellum acceptaret , aut offerret , quando etiam certo sciret , pugnam non esse secuturam , utpote ab aliis impediendam , ut patet ex damnatione Thesis

se-

ſecundæ cit. Decreti . Quare neque Pater Staidelius aut culpa , aut pœna vacabit , ſi , ne *imbellis*, videatur ſuum injuſtum aggreſſorem occiderit ; quin immo gravius delinquit , & magis puniendus eſt , quam ſi Duellum aut obtuliſſet, aut acceptaviſſet ſine periculo ullius cœdis non modo , verum etiam effuſionis humani ſanguinis . Quod ſi metus incurrendæ notæ timiditatis homicidium nullo modo excuſat ; quomodo illud excuſabit a reſervatione ? Denique hujuſmodi metus non poteſt Clericum ab irregularitate incurrenda eximere . Quippe lego inter ſupra laudati S. Bonaventuræ opera in *Confeſſionali cap.* 5. *partic.* 37. " ſi fecerit homicidium neceſſitate evi-
„ tabili (prout in Caſu de eo , qui fugere
„ poteſt) ſimiliter ad ſuperiores ordines non
„ poteſt aſcendere ; ſed in ſuſceptis cum eo
„ poteſt diſpenſari , licet non facile diſpenſa-
„ tur etiam per Papam " . En rurſus S. Doctor Seraphicus P. Staidelio omnino contrarius .

Pari honoris , ac reverentiæ ſtudio ſuum Seraph. Doctorem proſequitur P. Staidelius pag. 258. ejuſdem Enchir. , quemadmodum etiam in aliis locis, quæ brevitatis gratia prætermittere volumus . Quærit enim loco cit., peccetne mortaliter Clericus, qui " dicit offi-
„ cium inattente , indevote , extra horam,
„ corrupte , & diminute " ; ac reſpondet verbis S. Bonaventuræ in ſpeculo animæ :
„ non facile eſt judicandum mortale , niſi
„ hoc proveniat ex contemptu " . Ex contextu autem certum eſt , atque evidens quod Clericus qui *ſcienter* , ac *voluntarie* violat Le-

gem de recitandis Horis Canonicis: *devote*, *attente*, *sine interruptione*, *& sine diminutione*, peccet mortaliter. En integrum S. Bonaventuræ testimonium, quod legitur cap. 3. lib. laudati: " qui jus positivum scienter o-
" mittit, si id jus sit præceptorium, inobe-
" diens est, & peccat MORTALITER. Un-
" de illa, quæ ad jus positivum pertinent,
" & habent rationem præcepti dimittere pec-
" catum MORTALE judicatur. De his ve-
" ro, quæ ad officium divinum specialiter
" pertinent, est notandum, quod in hoc
" multipliciter peccatur, scilicet dicendo Of-
" ficium inattente, indevote, extra horam,
" corrupte, & diminute; unde tamen non
" facile est judicandum mortale, nisi hoc
" proveniat ex contemptu ". Videat insuper P. Staidelius, si Seraph. Doctorem de contemptu formali locutum contendat, ne eundem velut secum pugnantem, sibi contrarium comminiscatur. Enim vero *de sex Alis Seraphin. cap.* 8. in recitante Divinum Officium talem, ac tantam devotionem requirit, ut dicat: " Ignis est devotionis fervor, qui
" semper in Altari cordis ardere debet, quem
" Sacerdos devotus semper subiiciendo ligna
" divinæ laudis debet nutrire, ne aliquan-
" do extinguatur ". Jam siscitor a religiosissimo P. Staidelio, an nutriat, ut *debet*, ignem devotionis, & fervoris in Horis Canonicis recitandis, qui *inattente*, *indevote*, *extra horam*, *corrupte*, *& diminute*, non quidem ex formali *contemptu*, sed tamen *scienter* illas persolvit? Nullum igitur est dubium, quin locus a Staidelio citatus intelligi debeat
de

de mentis distractione, & indevotione, deque corruptione, ac diminutione aut non plane voluntariis, utpote haud *scienter* factis; aut certe levioris momenti, quæ dubio procul non tam facile, secluso contemptu tam formali, quam virtuali, ita negligenter orandi diu inolita consuetudine, sufficiunt ad peccatum mortale.

Pie ergo sciteq. P. Franciscus Henno *Disput.* 3. *de III. Præcep. Decal. q.* 1. *conclus.* 8. „ Licet ex vi præcepti Ecclesiastici, *ait*, non „ peccaret graviter, qui die Dominica, au- „ dita Missa privata, otiose tempus tereret, „ non tamen satisfaceret præcepto naturali „ conditionato de sanctificatione illius diei. „ Hæc sententia, licet non ita multos Ca- „ suistas (*quos inter numerandus est P. Staidelius*) habeat Patronos, est tamen ve- „ rissima, & in Conciliis, Patribus, & ra- „ tione evidenter fundata “. Hæc omnino sufficiunt ad demonstrandam laxitatem, & falsitatem opinionis Staidelianæ circa dierum Festorum sanctificationem. Verum ad retundendam iterum ejusdem Patris Staidelj temeritatem, qua passim in suo Enchir. gloriatur, se ex fontibus S. Bonaventuræ suas opinationes hausisse, hac etiam super re locum ejusdem Seraphici Doctoris in medium afferre lubet, ex quo evidentissime patet, eum qui, audito sacro, totum diem festum aut in venationibus, aut in prophanis lectionibus insumit, violare præceptum de sanctificando die Sabbati. Itaque S. Bonaventura *in* 3. *sent. dist.* 37. in prædictum præceptum *dub* 3. inter alia hæc præclare scripta reliquit:

Ad §. *ubi de Sanctificatione Festorum agitur.*

„ prop-

„ propter quod in diebus illis (*ideſt feſtis*)
„ debent Eccleſias frequentare , Miſſas audi-
„ re , beneficia Dei recolere , verba prædi-
„ cationis audire , & ſpiritualibus (*non pro-*
„ *phanis*) documentis ſe ipſos imbuere .